

osseoque et duobus aculeis ad caudam spectantibus aspero, quo Ranam pectoricem quodammodo refert: vertice admodum lato.

*Rostro* quodammodo caret. *Osalio* quam in aliis piscibus fieri solet, loco situm est, nimirum supra caput, et (ut Oppianus ait) inter medios oculos; estque magnum et valde patulum et inferiore maxilla sursum maxime attracta clauditur. *Dentes* habet exiguos, *linguam* brevem sed latam, quae internas oris partes ita occupat, ut nisi digito eam comprimas et submoveas, non videantur. Ex ea parte quae inter linguam est, et maxillam inferiorem oritur, teste Rondeletio, *membrana* in principio latiuscula, sensim in carnosam rotundamque apophysin definens, extra os propendens, qua pisciculos allicit, allectos devorat. Eandem cum vult, retrahit, et exerit, veluti serpens linguam. Pars inter oculos interjacens depresso est et concava. *Branchiae* utrimque quaternae sunt, quarum ossea opercula, posteriore parte aculeo robustissimo ad caudam spectante horrent. Juxta branchiarum scissuram *pinnae* duae magnae et robustae, crassae, et mucosae et variae exoriuntur. Subsunt in parte supina duae aliae minores, albae, maxillae inferiori propinquae. Has pinnas sequitur os veluti sternum, quod tribus aculeis horret. Succedit pinna alia a podice ad caudam. In dorso duae sunt, quarum prior capiti propior parva est et nigra, ut in Araneo: posterior ad caudam eandem usque porrigitur, dorso concolor.

Cauda in pinnam latam desinit, Pavonis caudae dum pisces vivit, aemulam, fimbriae purpurascunt, *Venter* est subalbidus: dorsum vero ac partes reliquae ex cineraceo fuscae apparent, qui colores, dum vivit, manifesti sunt, alioqui una cum vita pereunt.

A capite lineae duae ex squamu-

lis constantes ad caudam protenduntur. *Ventriculus* amplius est, crassus et carnosus, cum appendicibus plurimis, *intestina* ter revoluta, *hepar*, candicans, a cuius exteriore parte fellis vesica pendet, admodum magna pro corporis ratione, felle valde distenta, quod substantia et colore oleum aemulatur: cuius rei meminit Plinius, nulli piscium hoc copiosius esse scribens: citat autem Menandi authoritatem in comoediis, immemor fortassis ejusdem mentionem fieri ab Aristotele, qui nempe *Arist. H. A. Callionymo* in jecore fel inesse tradidit proportione corporis omnium copiosum: addit Aelianus hunc philosophi locum recitans, jecur ipsum tradere ad dextrum latus collocatum esse Menandrumque, huic rei testimonio esse in Meseenia, his verbis: *Facito te fel habere Callionymo copiosus*: item Anaxippum in Epidicazomeno dicentem, nisi moveas et sic ut *Callionymi* fervore efficias omne fel. *Lien* exiguus, rotundus atque rubens ventriculo haeret. *Vulva* bifida est et longa.

Non multum excrescit, et raro pedalem longitudinem excedit. *Littoralis* esse Aristoteles prodidit, post *Arist. H. A. eum Rondeletius, Carne vescitur, l. c.* et pisciculis apophysi illa, quam extra propendere diximus, infidias struit. Adnatant tanquam ad vermem, et *Aldrov. Hippocr. flor. Pisces* capiuntur. Si cibum capto objec-*l. 2. c. 51.* ris, eo usque se infarcit, ut cibus ad ipsum os redundet. Adeo vivax est, ut si omnibus internis spolies, moveatur adhuc. Comeditur a plebeis, quia virosi odoris est, unde *Bacchus* gravis Diphilo apud Athenaeum vocatur. Nec mirum, cum coeno-*Hippocr. l. sis aquis vescatur. Hippocrates* tamen non solum non improbat, sed *de affectis intern.* et in victu praescribit. Nonnulli felle oculos Tobiae curatos fuisse volunt. Cicatrices sanare et carnes oculorum supervacuas consumere *Plinius* tradit.

### PVNCTVM V.

#### De Trachuro.

TAB. XVII. *Tραχεῖος* seu ut Oppianus et Galenus scribunt *τραχεῖος*, quo nomine apud Latinos veniat, ingno-

ratur. Lacertum male vocari vel *Aldrovand. de Pisibus l. 2. c. 52.* exinde patet, quod iste *κοιλίας*, si pro peculiari specie accipias, vocatur.

Male